

spectum licet purissima, colore candido, subflavo, vitreo, odore grato & suavi, sapore acri & amaricante, (*Sam. Dale Pharmacol.*) præter oleum subtile & limpidum, quod destillatio aquæ vehiculo præbet, relinquit residuum, particulis plurimis diversæ magnitudinis terrestribus conspicuum, nec sanguini nec viscido denegandis, unde Excellentissimus Bohnius in seroso sanguinis latice glutinosum sedimentum observavit. *Circul. Anatom. Progym. 13.*

§. §.

De aquae viscido immixtis particulis, non est quod dubitemus. Corpora cæteroquin siccissima & magis spissa aliqua etiam tamen aquæ seu particularum flexibilium, lævium ac lubricarum admisionem presupponunt; quidni igitur viscidum etiam spissum maxime licet concipiatur, aquæ etiam seu particularum flexibilium lævium ac lubricarum admisionem haberet. Poros tantum consideres, ad quorum hiatum si corpora transgressura respondeant, res est in aprico. Sed certum est, in vitro, corpore alias poros habente constrictissimos, prout vel sola ejus conflatio per vehementissimum probat ignem, aquam transsudare, ex observatione Dni Hydden, quam ex Borrichio magnus allegat Polyhistor, Morhofius Epist. de Scypho Vitreo cap. 3. p. m. 47. globalos tenuissimos, vitreos scilicet aquam communem infusam penetrasse, monens: Quemadmodum & eodem libro p. m. 48. ex auctore quodam in nominato Anglico idem Morhofius vitro exceptum grandinem, cum in aquâ solveretur, magna sui parte exsudasse refert. Si hoc sit in solido, quid fiet in fluido? & posito, Viscidum etiam esse spissum magis, ad soliditatem proximum habens gradum, parum par erit ratio; Ast in hoc patentiores adhuc esse poros, unanimis Philosophorum est sensus, aquarum particulis longis, lubricis & lævibus, anguililarum instar parvularum figuratis, (vid. Cartesius Meteor. cap. 1. §. 3. p. m. 154.) facile cedentes, quos transitum adeo faciliorem admittere, consequentia docebit. Nec obstat veritati, Viscidum licet in humano corpore penè exsiccatum cum duritie non levi concipiatur, (vitrum adhuc excedente, quod minus videtur possibile,) nihilominus tamen aquam admixtam volo; si non probandi, nec inepta argumentandi erit ratio, à sanguinis scilicet fibrosi, sollicitè ab omni